Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2565

Quelle:
Copyright:

X. *fol.* 97. *Paſſio ſanctarum Affre et ſociarum eius.* Initium: *Beata Affra filia ſancte hylarie prius fuit publica in ciuitate Auguſta peccatrix* &c. Itaque praeit etiam *Converſio* prout apud *Bolland.* T. II. *Aug.* p. 55. a quo Exemplo Noſtrum phraſi quandoque differt. Vide et *Cod.* CCXCVIII.

XI. *fol.* 101. p. 2. *Tractatus de Arte memorandi.* Incipit: *Apud huius artificii principem Ciceronem attendi poteſt memoriam quam artificialem appellat conſtare doctrina atque adiuuari.* &c. *Ciceronis Nova Rhetorica* hic innuuntur, quamvis apud Graecos praeceſſere, qui ſimilia commenti ſunt. Noſtrum *Matheolo Peruſino*, *Petroque Ravennate* antiquiorem puto, et fortaſſe *Guilelmum Brixienſem*, de quo in *Praef.* ſua *Matheolus.* Agit is primum de Memoria *naturali* per *Loca* et *Imagines* juvanda, dein de *artificiali*, mediis videlicet *confuſioni ordinis* et *debilitati impreſſionis* obviandi. Judicium de ejusmodi conatibus etiam Sec. XVI. continuatis tulit *Corn. Agrippa de Vanit. Scient.* c. 10.

XII. *fol.* 109. *Tractatus de Paralogiſmis et argutijs ſophiſticis conſuetis fieri circa materiam indiuidue et beatiſſime trinitatis editus per reuerendum magiſtrum Hermannum lorcz de nuremberga.* Ita e calce. Initium vero ſic habet: *Tractans de paralogiſmis conſuetis fieri in materia trinitatis benedicte et eorum ſolucionibus premittam queſtionem aliquam preambulam ad hoc neceſſariam. 2°. ſubiungam regulas ad hoc utiles. 3° ponam paralogiſmos pluresque illorum ſoluam in forma.* En Opuſculi οἰκονομιαν, de cujus Autore qui tradat, neminem novi praeter *Ederum* in *Catal. Rector. Univ. Vien.* et *Locherum* in *Spec. Acad. Vien.* cui Noſter p. 3. audit: *Art. Mag. Doctor in Medicina et Baccalaureus in Theologia, Rector parochial. Eccleſiae in Holfeld Bamberg. Dioec.* bisque Academiae noſtrae praefuit anno 1387. et 1390.

XIII. *fol.* 126. p. 2. Remedia II. contra Peſtem germanice ſcripta. Titulus et initium Prioris: *Diſz iſt der brieff den des Roniſchen koniges Artzet hait geſant der eddelen frauwen von Blaen vor die Peſtilencie. Zum erſten, wem ſie* (Bubones?) *werden tzuſſen den ſchuldern der ſal ſchraffen vnder dem ſtaffe mit tzwein koppen* &c. Alterius: *Diſſe artzedie wart geſant dem konige von franckrich von den beſten Artzen von Pariſs vor die peſtilentz. Wem die druſe off farn der nem ſenffe vnd bolderbleder* &c.

XIV. *fol.* 131. *Quedam ſubtilia de diuinitate.* Re ipſa Conſiderationes ſenſatae de Reductione Gentium ad Chriſti Fidem, quarum initium: *In multiplici ſunt differentia qui extra ſtatum ſalutis in hoc mundo miſerabiliter degunt.* &c. Dum eos enumerat, ait inter cetera Autor: *Alii fuerunt homines et forte adhuc alicubi ſunt in inſulis, apud quos non eſt nec fuit cultus diuinitatis.* Recte opinatum dete-